DE AV
THORITATE IVDI
CANDI QVALE-
CVNQVE DOCTRI
NAE GENVS PE/
*nes eccleſiam ſita: item uocan
di inſtituendiq;, & rurſus tol
lendi doctores, argumenta ra
tionesq; è ſcriptura ſa/
cra petitæ.*

BASILEAE, ANNO
M. D. XXIIII.

BIBLIOTECA NAZ.
ROMA
VITTORIO EMANUELE

9

RI

ar
p
d
m
q
b
g
h
l
c

DE AVTHORITATE IVDICANDI DE QVOCVNQVE DOCTRINAE GENERE, AVTHORE MARTINO LVTHERIO.

PRIMVM OMNIVM ſcire oportet, & quæ nam, & ubinam gentium Chriſtiana ſit Eccleſia, necubi Chriſtianæ communionis prætextu (id quod nunquã nõ impij ſolẽt) homines humana & ſuſcipiant & inſtituant. Hoc autem ſolum Chriſtiani populi erit argumẽtum longe & certiſſimum, & euidentiſſimum, ubi ſcilicet Euãgelium & pure et germane uigere et florere uidebitur. Hæc eſt ſola nota, qua Chriſtianus populus diſcerni & poteſt, & debet. Perinde atque in rebus bellicis ſua cuiuſque ſigna certiſſime belli ducem exercitumq́; declarant, ita hæc ſola & unica notio eſt, quæ Chriſtianum populum & qui ſit & ubi terrarum moretur certiſsime et ꝓxime indicat, aſsidua ſcilicet adeoq; genuina Euã

gelij prædicatio, id quod pleræq; euidentiſſime pro-phetarum promiſſiones teſtantur: ueluti illa Eſaiæ 55. Verbum meum, inquit dominus, non reuertetur ad me uacuum, ſed inſtar pluuiæ deſtillantis à cœlo & fœcundantis ſolum, omnia efficiet ad quæ miſero illud. Hinc ſatis, ut opinor, clarebit fieri non poſſe, quin illic Chriſtiani ſint & eccleſia Chriſti, ubi Euangelio locus ceditur: atq; adeo ubi illud pure & uere prædicatur, quantumuis pauci ſint qui ab illo ſtent nihil refert: & uiciſſim fieri non poteſt quin iſtic meræ gentes ſint, ubi Euangelio non fit locus: uerum illius uice traditiones humanæ & ſtant & regnant, quantuſcumque ſit numerus, quantacum-que demum uitæ innocentia, morumq́; integritate præditi eſſe uideantur.

Hinc conſequitur id cui refragari nemo poteſt quicquid eſt Epiſcoporum, Collegiorum, Monaſte-riorum, breuiter, quicquid eſt huius farinæ, iamdu-dum Chriſtianos Chriſtianamq́; eccleſiam eſſe deſiſ-ſe, quanquam hoc nomine ipſi uel ſoli præ alijs ma-gno ſupercilio aſſiduò ſeſe uenditent & iactent. Nã qui uere Euangeliũ tenet, is audit, cernit, ſentit quã pertinaciter iſta hominũ factio, quantaq́; ui animorũ uel hodie pro traditionibus humanis digladientur et [illegible], quàmq́; longe ab Euãgelio deſciuerint, ho-

dieq́;

dieq́; deſciſcant. Proinde quicquid huiuſmodi homines parant, inſtituunt, docent, pro mera gentilitate & elemento mundi habēdum eſt.

Secundo: in huiuſmodi cauſa, utpote iudicanda doctrina, abrogandis, ſurrogādisq́; uiciſſim Christianis doctoribus, nihil omnino horum neq; leges iuráue hominum, neq; priſca maiorum inſtituta, neq; receptos hominum mores uel conſuetudinem, breuiter nihil horum prorſus neque ſpectari, neque attendi debet, undecunq; demum profecta eſſe uideantur, quicunq; horum fuerit author, ſiue inuexerit Papa, ſiue Cæſar, ſiue Principes, ſiue Epiſcopi nihil refert: quantacunq; item annorum ſerie talia durarint: poſtremo quantacunq; orbis pars inde ſteterit. Nanque animus hominis perpetuus & immenſus eſt, cui nihil cum traditionibus hominum ullis (quippe quæ breui caſuræ ſint) commune eſſe uel poteſt uel debet. Pluſquam enim ridiculum foret animū hominis uelle coram diuina maieſtate humanis traditiūculis regere & gubernare. Igitur in huiuſmodi cauſa ſolius diuini uerbi auſpicio & ductu agenda tractandaq́; ſunt omnia. Nam ubi traditiones humanæ eo uſque, ut animam ſibi obſtringant, graſſantur, fieri non poteſt quin cum Euangelio pugnent: id quod luce clarius mox in hunc modum

commonſtrabimus.

Humanis traditionibus conſtitutũ eſt, authoritatem iudicandi omnis generis doctrinæ in re Chriſtiana, ſolis Epiſcopis, doctoribus, concilijs, & iſti hominum ſpeci permittendam eſſe, et quicquid ab his decretum ſit, hoc eſſe omnibus ſimpliciſſime pro articulo fidei amplectendum: cuius rei uel ipſi optimi erũt teſtes, qui uel hodie illud ipſum perfricta fronte iactare & quiritari non ceſſent, dum pro papiſticis decretis uelut pro aris & focis pugnant. Quid enim aliud à tota illa hominum factione audias perpetuò iactari, niſi in ſua ſolius manu authoritatem diſcernendi iudicandiq́; , quid cum Chriſto conueniat, quid item pugnet, poſitam eſſe: reliquæ uero multitudinis eſſe illud ipſum tantũ capeſſere & probare: neq; ullius eſſe inquirere rationem & cauſam cur quid decretũ ſit. Vide hoc ipſum, illa ipſa iactãtia qua toti orbi iudicãdi poteſtatẽ extorſerũt ſibiq́; ſolis uendicarunt, hæc inquã ſola eſt qua uelut ſacra anchora nitũtur, quàm fœde interim, quàm turpe, quàm ſtulte cum Euangelio pugnare uideatur.

Chriſtus ſiquidẽ planè diuerſum conſtituit, qui ſimul & authoritatẽ & ius iudicandi, epiſcopis, doctoribus, & cõcilijs adimit, defertq́; uulgo Chriſtianorũ, adeoq́; toti cõmunitati Chriſtianæ, cũ inquit,

Ioan.

Ioan.10. Oues meæ uocem meam agnoſcunt. Item: Oues meæ non ſequuntur alienum, ſed fugiunt illũ. Quia non agnoſcunt uocem alienam. Item: Quotquot uenerũt, fures ſunt et latrones, ſed nõ audierũt eos oues. Ex his omnibus omnino liquere puto, cuia ſit authoritas & ius iudicãdi de doctrina eccleſiaſtica. Papæ quidem, item Epiſcopis, doctoribus, breuiter nemini non licet docere, ſolarum uero ouium eſt examinare, expẽdere, & probare iſtorũ uoces, num Chriſtũ redoleãt, nec ne. Quid quæſo his locis adeo euidentibus, adeo pugnantibus, aquaticæ iſtæ bullæ obijcient? Quæ ita pertinaciter aſſiduò quiritantur & crepant, cõcilia, concilia: item doctres: breuiter multitudinem audiendam eſſe, horum ſententia & ſtandum & cadendum eſſe: item priſca inſtituta, receptamq́; tot ſeculorum conſuetudinem ſpectandam eſſe. Num quæſo cenſes oportere diuinum uerbũ humanis traditionibus, receptis moribus, item Epiſcopis, locũ cedere? Nequaquam. Proinde condant Epiſcopi quicquid uelint, ſtatuant concilia quicquid libet: hoc utcunq; tolerabimus: uerum ſentiendi iudicandiq́; ingenue de iſtorum decretis libertatẽ (modo nitamur uerbo dei) nunquã nobis extorquebunt. Hanc neceſſe eſt donent nobis penes nos ſitam eſſe: & neceſſe eſt ut ipſi ubi euicerimus eos diuini uerbi

 authoritate,

authoritate, nobis cedant, & noſtro uerbo auſcultēt.

Hinc ſatis manifeſtum eſſe puto, quantum tribui oporteat ijs, qui animas & cōſcientias hominū ſuis traditionibus mancipare & obſtringere conantur. Quis quæſo nunc eſt adeo ſtupido craſſoq; ingenio, aut obſcurum ſit, quāto furore, quàm temeraria ueſania, quicquid eſt uſpiam Epiſcoporum, collegiorū, monaſteriorum, breuiter ſcolarum cum toto illo ſuo corpore, ſeſe proruant, præcipitent, quàm impingāt in perſpicaciſſimum dei uerbum, in eo ſcilicet, quod intoleranda temeritate & libidine, ouibus, quibus ſolis debetur doctrinæ iudicium, extorquent, ſibiq; petulanter arrogāt? Proinde uere illi ipſi ſunt, quos pro meris furibus, latronibus, lupis & apoſtatis & iudicari & haberi oportebit, cum ſcilicet nō modo non diuinum uerbū abnegent, uerumetiam (id quod multo atrocius eſt) ſumma contentione oppugnent, cōtra hoc ſtatuant, & ſua ſomnia opponāt, id quod Antichriſtū totumq; illud eius regnū decet. 2. Pauli ad Theſſalonicenſes. 2.

Item, Matthæi. 7. attendite, inquit Chriſtus, à falſis prophetis, qui ueniunt ad uos in ueſtimentis ouiū &c. Ecce hic uides Chriſtū iudicādi rationē nō prophetis & doctoribus, ſed diſcipulis ſiue ouibus detuliſſe. Nā ꝗ quæſo caueri poſſent falſi prophetæ (id qđ

tamē

tamē hic Chriſtus monet) niſi illorū traditiōes et doctrinas licet reuocare ad iudiciū, examinare, tractare, retractare, breuiter, expēdere? Iā negari nō poteſt, quin falſi prophetæ appellatiōe doctor, nō auditor ueniat. Proinde oportet quicquid eſt uſpiam doctorū, auditorum iudicio cum ſuis doctrinis obnoxiū eſſe.

Item, quid aliud agit Paulus .1. Theſſal. 5. Omnia probate, quod bonum eſt tenete: ecce hic uides nolle Paulum ullam doctrinam, ullam traditionē amplecti, niſi antea cōmuni eccleſiæ iudicio probetur, piaq; cenſeatur. Illud ipſum nanq; probare, certe non doctores concernit, quippe quos antea tradere & docere oportet, quod poſtea iudicio Chriſtiani populi relinquendum eſt. Ecce & hic uides iudicandi rationem doctoribus ademptam, ſoliſq; auditoribus conceſſam eſſe in repub. Chriſtiana, atq; ita uides Chriſtianam politiam multum diſtare & differre ab externa & ciuili. Nam in externa principes mandare ac imperare, ſubditos uero iuſſa capeſſere fas eſt. Aliter uero res habet in repub. Chriſtiana: ibi ſiquidem quiſq; alterius arbiter & iudex eſt, & uiciſſim illius iudicio obnoxius, quanquàm ſpirituales illi tyranni ex Chriſtianiſmo nihil aliud niſi meram externam, & ciuilem politiam fecerint.

Quartus locus Chriſti eſt Matth. 24. Videte ne

quis uos ſeducat: multi enim uenient nomine meo dicētes: Ego ſum Chriſtus &c. et multos ſeducēt. &c. ſumma ſummarum, quid opus eſt tantum producere locorum, cum omnes pareneſes Paulinæ Roma. 16. 1. Corinth. 10. Gal. 3. 4. 5. Coloſ. 2. breuiter nuſquam nō illò uel ſolæ ſpectent. Porrò quid aliud agūt prophetæ ubiq; ubi admonent, humanas traditiones cauendas, quàm quod omnem iudicij rationem doctoribus ereptam ad auditores transferant? adeóque ſeueriſſime hoc unum uel cum ſalutis diſpendio exigant. Atq; ita uides iudicandi copiam non ſolum uulgo Chriſtianorum eſſe cōceſſam, uerumetiam hanc unam uel ſeueriſſime exigi, niſi quis malit diuinam illam maieſtatē ſibi parum propitiam experiri. Hinc palàm eſt, quam impie tyrannicum illud genus nobiſcum egerit, cum ſcilicet authoritatem iudicandi nobis ui expreſſam tam ſcelerato auſu ſibi arrogarit: quo ſoli profecto, etſi præterea nihil peccatum foret, abunde commeruiſſent, qui è medio Chriſtianæ reipub. ceu nocentiſſimi lupi, fures, & latrones proijcerentur, exterminarenturq;. Quippe qui in miſerum Chriſtianorum uulgus contra apertiſſimam diuinæ maieſtatis uocem & conſilium tantam tyrannidem exercuerunt.

Ex his omnibus nunc colligite, Chriſtianam ecclesiam

eclesiam diuino uerbo innixam ubicunque tandem illa fuerit non ſolum habere authoritatem iudicandi, uerumetiã debere, uel ſub ſalutis periculo ex fœdere, quod cum Chriſto in baptiſmo pepigit, omnibus modis cauere, uitare, abominari, abrogare, ſeq; eripere huiuſmodi tyrannidi, quã nunc perpetuò Epiſcopi, monaſteria, collegia, & id genus tyranni exercent. Quandoquidem ſatis conſtat, eos impie contra deum, contraq; apertiſſimum eius uerbum, per uniuerſum omnia & docere & regere. Atque ita uides illud primo ſatis euidentibus & ſolidis ſcripturæ locis communitum cõfirmatumq; eſſe, omnibusq; uel perſuaſiſſimũ eſſe debere iure diuino, & noſtræ ſalutis iactura exigi, ut huiuſmodi laruæ Epiſcoporum, Abbatum, & quicquid tandem eſt huius ſentinæ, abrogentur, tollantur, aut ſaltem uitentur.

NVNC DE VOCANDI RATIONE.

SECVNDO: quandoquidem Chriſtianitas nuſquam ulla eſſe poteſt, ubi nõ aſſiduò perſonet diuini uerbi uox, conſequitur ex ſuperioribus, oportere omnino eſſe doctores, ꝗ perpetuò ſemen illud Euangelij in Chriſtianũ agrũ ſpargant ac diſſeminent, nunc (quandoquidem in hac perditiſſima nouiſſimorum temporum fæce, Epiſcopi.

copi, adeoq; totũ illud falſo (ut uocant) ſpirituale regimen eiuſmodi non ſint, nec eſſe contendant, neq; tales aut exhibere aut perpeti uelint, qui uerbo diuino mẽtes ſimpliciũ formare ac erudire poſſint, neq; uero eatenus diuinam illam maieſtatem tentare licet, ut, dum illa uobis cœlitus eiuſmodi demittat doctores, expectare uelimus) neceſſe erit nos uti ſcriptura, & tales inter nos ipſos creare, qui huiuſmodi prouinciam cõmode & frugaliter ſubire poſſe uidebuntur, quorumq; corda deus Euangelij luce colluſtrauit, quosq; linguæ, cæterisq;, quæ huic rei uſui eſſe poſſunt, dotibus inſigniuit & exornauit.

Nam hoc negari omnino non poteſt, quẽuis Chriſtianorum uerbum diuinum tenere, eſſeq; θεοδίδακτον, *unctumq; in ſacerdotẽ, ſicut Chriſtus Ioannis. 6. inquit:* Omnes erunt θεοδίδακτοι. *Item Pſal. 44. Vnxit te deus oleo letitiæ præ conſortibus tuis. Hi cõſortes Chriſtiani ſunt, Chriſti fratres, qui unà cum eo ſacerdotes conſecrati ſunt.*

In hũc modum dicit & Petrus. 1. Pet. 2. Vos eſtis genus electum, regale ſacerdotium, gens ſancta, populus acquiſitionis, ut uirtutes annuncietis eius, qui de tenebris uos uocauit in admirabile lumen ſuum.

Iam ſi uerbum dei tenẽt, unctiq; ſunt à deo, certe oportet illud ipſum quoq; prædicẽt, doceãt, ac explicent,

cent, ſicut Paulus inquit. 1. Corin. 4. Eundem ſpiritũ fidei accepimus, ꝓpterea et loqmur. Huc facit et Pſal. 115. Credidi propter quod locutus ſum. Item, Pſal. 50. de uniuerſis Chriſtianis dicit: Docebo iniquos uias tuas, & impij ad te conuertentur. Atq; hic iterum uides Chriſtiano non ſolum permiſſam eſſe authoritatem prædicandi uerbi diuini, ſed hoc planè ab eo exigi, eſſeq; propriè eius officij, niſi ſalutis ſuæ diſpendium, diuiniq; iudicis indignationẽ incurrere malit.

At obijcies: quid? Si nõ ſit uocaticius, illã ei prouinciã ſua ſponte ſuſcipere certe non licebit, id quod & tu non ſemel tradidiſti. Obiectio

RESPONDEO.

Hic tibi ita concipienda res eſt, ut imagineris duplici in loco uerſari Chriſtianũ. Primũ illic, ubi mera eſt gentilitas, ubi nullum Chriſtiani populi ueſtigium extat: eo loci nulla alia externa uocatiõe opus habet præter eã, qua intus diuinitus & illuſtratus et unctus ducitur & rapitur: ibi planè exigũt eius partes, uocat eius officiũ, ut errabũdis gentibus & impijs, precioſiſſimum illũ theſaurũ Euangelij Chriſti libere expromat atq; dependat. Ita factitabat diuus Stephanus, id quod in Actis Apoſto. 6. 7. eſt cernere. Cui tamen nemo Apoſtolorum id demandarat, prædicabat tamen, patrabatq; multa & memorabi-

lia ſigna in populo. Itidē faciebat Philippus ille diaconus ſocius Stephani Act. 8. Quanquā nec is à quoquam uocatus eſſet. Idem agebat Apollo Act. 18. Nam in huiuſmodi caſu contemplatur pius animus calamitatem afflictarum conſcientiarum, quibus medendi ſtudio ipſe ſeſe ſua ſponte ingerit, ſalutaremq́; Euangelij uocem miſeris conſcientijs impertit: neque expectat eo uſque, dum ab Epiſcopis aut principibus ad hanc docendi prouinciam euehatur, ſed illam ipſam ipſe neceſſitate coactus, dum nullus alius contingat, ſua ſponte ſuſcipit, fraternoq́; affectu laborantibus conſcientijs ſe impendit: ſiquidem id poſtulat neceſſitas, quæ planè omnibus in rebus ita potēs eſt & imperioſa, ut nullis ſe legibus uinciri & aſtringi patiatur, ſed perrumpit liberè quaſcunque leges. Atq; ita uides deberi id ex officio charitatis, ut quiſque prædicet Euangelium errabundis hominibus.

Secundo, ubi uero iſtic fuerit, ubi plures habebuntur Chriſtiani, quibus eadē authoritas eſt et ius prædicandi, iſtic ſanè pro Chriſtiana modeſtia ſeſe continebit, nec ſua ſponte ſeſe ingeret aut præficiet, ſed expectabit dum communi aliorum conſenſu eo muneris uocetur & prouehatur: ita ut ipſe communes omnium uices & partes exequatur. Immo tantum

tum licet Chriſtiano, ut etiam in media turba Chriſtiani populi, uel non uocatus humana uocatione, & poſſit & debeat exurgere & docere, ſicubi uiderit publice docentem labi & errare: ita tamen, ut id ſobrie modeſtéque non magno cum motu fiat. Atque huius rei author eſt Paulus. 1. Corinth. 14. ubi inquit: Si quid ſedenti reuelatum fuerit, taceat prior. Hic uides quid Paulus agat. Hunc uidemus imperare ſilentium, etiam in media turba, docenti ſi labatur: & uiciſſim copiam facere exurgendi docendiq; uel non uocatido, ſed auſcultanti: hac ſola cauſa, quod ſe nulla lege premi & coerceri patiatur neceſſitas.

Iam ſi Paulus, ubi id poſtulare neceſſitas uidetur, etiam in medio Chriſtiani populi cuique uel non uocato copiam facit exurgendi docendique, uocatq; illum hac (ſicut ſupra dictum eſt) diuina uoce, iubet'que priorem abſiſtere, exauthoratq; & deponit præſcripta diuinæ uocis forma', quãto æquius iuſtiusq; fuerit totam cõmunitatem publicam, quempiã uocare & promouere ad docendi functionẽ, ſicubi id neceſſitas exigere uidebitur: ſicut ferè nũquam non, & præſertim nunc temporis maxime urget & cogit. Nam eodem, quo dixi, loco, Paulus ſingulis ius facit docendi inter Chriſtianos ſi id poſtulet

neceſſitas

neceſſitas, cum inquit: Poteſtis enim omnes per ſingulos prophetare: ut omnes diſcant & omnes exhortentur. Item: Aemulamini prophetare, & loqui linguis nolite prohibere: omnia autem honeſte & ſecundum ordinem fiant in uobis.

Atque hunc Pauli locum ceu firmiſſimam baſim obſerua, quo nitaris & in quem incumbas. Nam hic uel ſolus abunde teſtari poteſt penes Chriſtianã cõmunionẽ ſitam eſſe authoritatem prædicandi, creandiq; qui prædicent, præſertim ubi id neceſſitas exigere uidetur. Nam ſi ipſe per ſeſe priuata authoritate citra ullius externæ uocationis accęßionem uocat, dubitari profecto non poteſt, quin id multo magis toti eccleſiæ, quæ Euangelio utitur, liceat, ut et ipſa communi conſenſu inter ſeſe eligat, uocet, inſtituat, qui communi omnium uice prædicent.

Obiectio At dices: nunquid Paulus Timotheo et Tito iniunxit, ut ſacerdotes inſtituerent? atque id idem legimus Act. 14. ipſum Paulũ cum Barnaba factitaſſe ubi eccleſijs ſacerdotes præficere, non igitur hoc erit multitudinis opus uocare, qui docẽdi prouinciã ſubeant, neq; itẽ priuatæ cuiuſq; authoritatis id ipſum ſua ſponte ſuſcipere ac ſeſe ingerere, uerũ expectandum eſt dũ Epiſcopi, Abbates, adeoq; oẽs ij, penes quos ſumma Chriſtianarũ rerũ eſt, uocẽt, imperẽtq;.

Reſpondeo.

RESPONDEO.

Si noſtrates Epiſcopi et Abbates candide et ſyncere Apoſtolico fungerentur officio, adeoq́; uere inſiſterent Pauli & Titi ueſtigijs, eodemq́; quo illi candore eccleſias adminiſtrarent, tolerari ſanè poſſet ſi et ipſi eaſdem partes, idem officium quod Paulus et Barnabas, ſuſciperent. Nunc uero cum nihil minus agant, imò ſathanæ uice potius, quā Apoſtolorū fungantur, agantq́; in ouili Chriſtiano uoracißimos lupos, utpote qui Euangelium Chriſti neq; diſpenſent ipſi, neq; curent per quos diſpenſari poſſit, tantundem ad eos pertinet de creandis qui prædicent, deq́; curandis Chriſtianis mentibus, quātum uel ad Iudæos uel ad Turcam pertinet. Agazones potius agere deberent, aſinis canibusq́; præfici: illis adminiſtrandis longe commodiores eſſent. Cū animis uero quos chariſſimo ſanguinis ſui precio Chriſtus coemit, nihil prorſus commune habere deberent.

Præterea, eſto ueros & ſynceros Epiſcopos agere uellent, qui & ab Euangelio ſtarent, curarentq́; eiuſmodi præcones, per quos Euāgeliū uulgari poſſet, nunquā tamen ſui iuris eſſe contendent citra uulgi conſilium & conſenſum, ſua authoritate deſtinare docendi officio quenquam, niſi ſicubi id neceßitas exigere uidebitur, ubi ſcilicet metui poßet anima

rum pernicies diuini uerbi inopia. Nam eo loci, ut ſa tis ſupra audiſti, non ſolum licet ſingulis priuata au thoritate deligere eiuſmodi aliquem, qui uerbo præ ſit, ſiue id precibus ſiue ciuili poteſtate efficiat: uerũ ſingulorum quoq; erunt partes, ut & ipſi exurgant & doceant. Neceſſitas enim plane eiuſmodi eſt, quæ nullis legibus, nullis finibus cohiberi uelit. Perinde atq; ſicubi coortum foret publicum incendiũ, ibi certe uniuſcuiusq; foret non expectare dum rogaretur, ſed quãta poſſet ui, quã maxime ipſum ſua ſpõte accele rare ac ruere ad illud extinguendũ. Alioqui ubi tam urgens neceßitas non fuerit, neq; item deſunt qui et rite præfecti ſunt, & candide ſuo officio funguntur, non erit ullius Epiſcopi quenquã inſtituere citra ele ctionem, cõſilium, ac uocationem uulgi. Verũ id qui dem erit ex officio Epiſcopi, cõfirmare ſcilicet, ac ſta bilire illum ipſum à uulgo antea deſtinatum & uoca tum. Quod ſi nõ fecerit, ſit electio eiuſmodi nihilo minus tamẽ rata populi uocatio. Nã nemo Apoſto lorum, ſiue Titus, ſiue Timotheus, ſiue quiſq; tandẽ fuit, quenquam inſtituere unquam citra uulgi cõſen ſum, id quod manifeſte colligi poteſt ex eo, quod ad Titũ. 1. Item. 1. ad Timoth. 3. iubeat Paulus eiuſmodi deligi Epiſcopos et ſacerdotes, qui ſint ſine crimine: itẽ diaconos, qui ſint pudici: et illi probẽtur primũ.

Iam qui ſcire potuit Titus qui tandē eiuſmodi forēt, cuiuſmodi Paulus exigebat, ab omni ſcilicet labe criminis alieni, niſi in huiuſmodi aliquem antea uulgus conſpiraret, cuius ratio uitæ nulla nota aſperſa foret, quem poſtea ipſi confirmarent?

Item Actu. 4. extat, non licuiſſe uel Apoſtolis in multo humiliorem conditionem, diaconatus ſcilicet, quenquā collocare, niſi uulgo antea ita uiſum eſſet: ſed uulgus antea deligebat quem probabat, atque illum demum ita uocatum ſtabiliebant Apoſtoli. Iam ſi in tam humili ſtatu non licuit illis quenquā priuata authoritate præficere, qui licuiſſet, in functionē multo ampliſsimam, prædicandi ſcilicet uerbi diuini, ſuo arbitrio citra uulgi iudiciū aliquē collocare? Ergo non eſt quod cauſentur hic Titi & Timothei exemplum. Hoc enim illis nihil patrocinabitur. Proinde oportet ipſi inter nos creemius et præficiamus qui uerbo præſint, ſiue confirmentur ſiue nō. Nam ita haud dubie feciſsent et ij, quibus præerat Titus, ſi quem illi creaſſent, hic recuſaſſet confirmare. Proinde multum intereſt inter hoc noſtrum & Titi ſeculum. Tum enim præerant qui in hoc unū incumbebant ut uerbo erudirent, et cōmodos curarent prædicatores: hoc uero noſtro æuo neminem neque cupiunt, neq; ferunt noſtrates Tyranni, niſi qui egregios lupos & fures

agant, qui uorent & mactent oues.

Et quid eſt cur iſti hunc in nobis eligendi, uocandiq́; ritum damnent, cum eundem ipſi & obſeruent & celebrent? Nam quis eorum unquã aut Epiſcopus aut pontifex extitit, qui alicuius priuata authoritate eo conditionis euectus eſſet? nunquid principio totius Capituli (ut uocant) ſuffragijs & deliguntur & uocantur? deinde aliunde confirmant: utpote Epiſcopi à pontifice maximo, tanquam potiore; pontifex maximus à Cardinale oſtiæ, tanquam inferiore. Iam eſto huiuſmodi aliquis, ita capituli conſenſu & uotis, uel pontifex uel Epiſcopus creatus, non confirmaretur à ſuperiore aliquo magiſtratu, num illi ideo minus rata & ſtata foret cõditio? Non ſanè. Quid eſt ergo quo minus & hoc ualeat, ſi quem Chriſtiana communio toto conſenſu uocet & eligat, etiam ſi is aliunde nõ confirmetur? Quis quæſo (quandoquidem ipſi ſuas huiuſmodi laruas Epiſcopatus ſcilicet, Papatusq́; pluris faciũt hac noſtra prædicandi cõditione) quis, inquam, eos hac poteſtate auxit, eaq́; ipſa nos priuauit? maxime cum illud noſtrum uocare nitatur ſolidis ſcripturis, hoc uero ipſorum humanum & frigidum commentum ſit, præter ſacram ſcripturam proditum. Quo cum tamen nobis noſtrum ius è manibus extorquent & depredantur,

deprædantur, meri tyranni ſunt & nebulones, qui nos tractant planè his artibus, quæ decent Sathanæ Apoſtolos.

Atque ex hoc fonte opinor fluxiſſe, quod alicubi magiſtratus ut principes, & præterea alij quidam conſulares homines, qui opulentiſſimi maximiq; habiti ſunt, ſuæ domi ſibi pararint, ſuisq; ſumptibus aluerint, quos audirēt diuinum uerbum, quanquam idipſum, nulla interim à pontificibus uenia petita, neque etiam alioqui quoquam obſtrepente, facerent. Tametſi uereor id factitatum ab illis, non tam quod ius ſuum agnoſcerent, ſcilicet id diuinitus ſibi licere, quàm quod uiderent ab Chriſtianis tyrannis, utpote Epiſcopis, prædicādi officiū, tanquā ad ſe nihil attinens, contemptui & neglectui dari. Cum tamen nulla ſit functio Epiſcopo dignior, quàm eſt illud ipſum prædicādi munus, è quo reliqua omnia ceu è capite pendent: quoq; ſublato, omnia reliqua ſimul tolli neceſſe eſt. Nam Ioan. 4. inquit Chriſtum non baptizaſſe ſed prædicaſſe, & Paulus gloriatur 1. Corinthio. 1. ſe non baptizandi, ſed prædicandi gratia miſſum eſſe.

Proinde cui hæc prædicandi functio impoſita fuerit, ijs ſummum & maximum in repub. Chriſtiana gerit officium. Huic poſtea, ſi uolet, licebit & baptizare,

ptizare, miſſare, reliquaq́; quæ ad animarũ curam ſpectãt peragere: aut ſi hoc nõ uidebitur, ſolo prædicandi officio contentus eſſe: reliqua uero ad cæteros relegare, id quod Chriſtus, item Paulus, breuiter nulli ferè non Apoſtoli factitarũt, Act. 4. Atq; ibi iterum uides noſtrates Epiſcopos meras laruas eſſe, quippe qui docendi munus omnium auguſtiſſimum, ſeq́; ſolis longe digniſſimum, quibuſq; humilimis et abiectæ maxime ſortis, Monachis ſcilicet & Sacellanis (ut uocant) commendent. Interim ipſi meris nugis, confirmatione ſcilicet, conſecratione campanarum, altarium, breuiter templorum occupati tenentur: quæ neque Chriſtiana, neq; uera Epiſcoporum ſunt officia, uerum à ſuis ipſorum inſanis capitibus commenta & inſtituta, cæcæ, peruerſæq́; laruæ ſunt, et mere pueriles Epiſcopi, cuiuſmodi pueri per luſum effingunt & exhibent.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

FINIS.

EXCVDEBATVR ANNO M. D. XXIIII.